



ANthimus magnæ fortitudinis homo à Gothis, qui in Cimerijs habitauerunt, rex constitutus est, anno creationis mundi ter millesimo quadringentesimo quinquagesimo, cum respublica Romana ob Lucretiæ pudicitiam uiolatam ad Consulatum auctoritatem deuenisset. Eodem tempore Darius Hystaspis filius Persarum monarchiam adeptus erat. Hic Antimi regis filiã per legatos uxorem petijt, atque nisi petitis consentiat, bellum indicit. Verùm Gothi eius affinitatem spernentes legatos re infecta domum remiserunt. Hunc contemptum Darius tanta indignatione tulit, ut in eius uindictam septingenta hominum milia (ut O-

rosius habet) ad bellum Scythicum educeret. sed rãtus exercitus in Cimerias terras ingressus, magis contemptibilis quàm formidabilis Gothis extitit. Nã illi extrema copiarum lacerãtes plus eis negotij fecerũt, quàm si aduersa fronte cum eis pugnassent. Itaq; Darius ad Anthimum legatos misit, ac petijt, ut latebris relictis aperto Marte congredieretur, aut donis oblati se uictos esse declararent. Verùm rex (teste Val. Max. lib. 5.) Dario respondit, sese arma pro suæ gentis uoluntate tractare, atque maiorum sepulchra fortitum uirorum instar defendere: promittit etiam sese opportuno tempore dona missurũ; ipsis conuenientia. Nec multo pòst auem, murem, & ranam misit.